

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Ad Avdiendas Orationes Vltimas Qvorvndam Avditorvm
Pvblicorvm D. XXIII. Apr. MDCCLXX. Hor. Pom. In
Avditorio Pvblico Gymnasii Illvstris Habendas Decenter
Invitat Et De Arte Oratoria Sobrie Adhibenda ...**

Mauritii, Christoph

Carlsruhe, 1770

VD18 14221748

"Nemini dubium est, quin maximi [...]"

[urn:nbn:de:bsz:31-116076](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116076)



Tria sunt, quae ab oratore requiri solent: ut doceat, ut probet, ut moveat. Quum vero iam reliquarum doctrinarum magistri & doceant & asserta sua probent: tertia tantum pars oratori propria esse vulgo creditur, ut affectus moveat, & proinde dictionis venustate colorumque inductione animos auditorum vel ad appetendum vel ad averfandum flectat.

Nemini dubium est, quin maximi momenti hæc ars sit, quae in humanum genus, quod plerumque sensibus ducitur, mirum quantum imperium exercet; quo magis videndum, ne illa iniusto loco adhibeatur & vel ludibrium sibi, vel damnum aliis contrahat.

Adgressi sunt multi oratores, divinam hanc veritatem commendare, sed quonam verborum schemate? Ex Christo pro nobis vulnerato rubinos, ex corona ejus spinea rosas colligunt, in beatorum sedibus Elyfios campos et nescio quas Fortunatas insulas inveniunt; quid mirum, si vel religionis hostes eam ut ludicram contemptui habent, vel religiosi ipsi mollibus hisce dictis, tanquam inertiae pulvinaribus requiescunt, seriae veritatis & divinae sacrarum litterarum virtutis prorsus expertes. Sed non minus in profanis errat oratorum vulgus. Laudatur vir bonus, aliquo virtutis gradu insignis: et statim ita laudatur, ut omnes simul sumtae virtutes vno pallio contineri credas. Vituperatur malus, aliqua macula notabilis: et statim ita vituperatur, ut omnium scelerum libidinumque sentina in hoc vno confluxisse videatur. Explicite docent et examine demonstrant hic oratores, sed verba eorum tam vaga atque extra omnem limitem projecta deprehenduntur, ut nil nisi artem in dictionum lenociniis expromere voluisse videantur. Sed damnum hinc exoriens non parvi aestimandum est. Ultra modum enim laudatus omnes omnium virtutum numeros implevisse sibi videtur et caeterum torpore marcet: ultra modum autem vituperatus spem melioris vitae omnem abiicit et ferrea fronte omnium scelerum titulos gerit.